

& spiritus sancti super primitiuam ecclesiam declarat  
aduentus. Quicumq; ergo (ait apostolus) baptizati su-  
mus i Christo Hiesu, in morte ipsius baptizati sumus,  
& reliqua. Et saluator ascensurus in celum, ap[osto]lis dixit,  
Ioannes quide[m] baptizauit aqua, uos aut[em] baptizabimini  
spiritu sancto, non post multos hos dies.

DE PURIFICATIONE. Ca. XXXIII.

Purificatiōnis ergo matris domini tempus, post  
p dies quadraginta a natiuitate eius celebratur,  
quia ex legis p[re]cepto hoc tempus statutū est  
parentibus fœminis, quo purificari deberent. Scriptū  
est enim in libro Leuitico, quod dominus per Moysen  
mandauerit Israhel, ut mulier quę in suscepto semine  
pareret masculum, immunda esset septem diebus, &  
die octaua circumcideret[ur] infantulus, ipsa uero triginta  
quattuor diebus maneret in sanguine purificationis  
sue, omne sanctum non tangeret, nec ingrederetur san-  
ctuarium, donec implerentur dies purgationis eius.  
Sin autem fœminam pareret, immunda esset duabus  
ebdomadibus, & quadraginta ac tribus diebus maneret  
in sanguine purificationis sue. Cumq; expleti essent  
dies purgationis eius, pro filio siue pro filia, deferret  
agnum anniculum in holocaustum, & pullum colūbe,  
siue turturem pro peccato, quod si non potuerit agnū  
offerre, sumeret duos turtures ul' duos pullos colūbe,  
vnum in holocaustum, et alterū pro peccato, oraretq;  
pro ea sacerdos, & sic mundaretur. Hac ergo de causa  
statuta est in ecclesia festiuitas hec, quia matrem dñi se-  
cundum legem in hac die constabat purgari, sed non  
ideo, quod aliqua legali purgatione indiguerit, quæ  
dominū gestabat legis, sed quia Hiesus non uenit legē  
soluere, sed adimplere. Venit ergo mater domini ad  
templum secundum legem, ducens secum puerum, ac

deferens hostias que lex precepit, ut in nullo patribus fieret dissimilis, ac illud in se prima ostenderet, quod scriptum est. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Obuios habuit grandeuum Simeonem, & Annam multorum annorum uiduam, & ceteras personas in hoc sacro ministerio affuisse, que benedixerunt & glorificauerunt deum, & multa de eo uaticinauerunt, facer euangelij textus luculento sermone demonstrat, Ob hanc quippe causam, eadem festiuitas,  $\nu\pi\alpha\upsilon\tau\iota$ , Hypanti nuncupatur, quia predictę personę ad templum obuia Christo aduenerunt, deuoto corde et obsequio,  $\nu\pi\alpha\upsilon\tau\alpha\omega$ , Hypantao enim greco sermone dicitur, quod obuiuo latine interpretatur, Est quoque festiuitas hec purificationis incipiente Februarii mense, qui a Februo, i. Plutone, qui lustrationum potens, a gentilibus credebatur ita uocatus esse, lustrarique eo mense, apud Romanos ciuitatem consuetudo erat, ut iuxta diis manibus soluerentur, Sed hanc lustrandi consuetudinē, bene mutauit christiana religio, cum in mense eodem, die sanctę Marię plebs uniuersa cum sacerdotibus ac ministris, hymnis, modulationibus deuotis, per ecclesias, perque congrua urbis loca procedit, datosque a pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentis, non utique illustrationem terrestris imperij quinquennem, sed in perhennem regni celestis memoriam, quando iuxta parabolam uirginum prudentium, omnes electi lucentibus honorum operum lampadibus, obuiam sponso ac regi suo uenientes, mox cum eo ad nuptias superne ciuitatis intrabunt,

DE SEPTVAGESIMA, ET SEXAGESIMA, ET  
QVINQVAGESIMA, Ca. XXXIII.

DE Septuagesima quoque et Sexagesima, Quinquagesima atque Quadragesima, cur dominici